

dem formæ fieri potest de orationibus aliorum beatorum, maxime quando sibi aliquid postulant, ut, verbi gratia, resurrectionem suorum corporum. Ratio vero est, quia Christus non orat nunc ut per ipsam orationem faciat sibi deberi rem quam postulat, sed potius tanquam exigens quod alias titulo justitiæ sibi jam est debitum; itaque illa oratio nititur præcedentibus meritis, non denuo meretur; sicut inter homines quando mercenarius petit mercedem suam, quam promeruit, non ideo petit ut illam mereatur, sed ut illam exigat. Quocirca illa lex, in qua fundatur certa et infallibilis impetratio talis orationis, est ipsa promissio, ex qua debetur retributio prioribus meritis, non specialis aliqua lex vel promissio, propter quam illi orationi retributio aliqua debeatur. Hæc est doctrina D. Thomæ 2. 2, q. 83, art. 11, ad 1, quam indicasse videtur Rupert. Abb., lib. 9, de Divin. offic., c. 3, sic inquam: *Illam interpellatio, Doctorum omnium vera assertione, non submissa est postulatio, sed passionis ejus, quæ semel pro nobis in sacrificium oblata est, æterna commemoratio.* Dices: ergo, cum Christus orabat in terra: *Clarifica me, Pater, etc.*, non merebatur per illam orationem, sed exigebat rem sibi debitam ratione unionis. Respondetur negando consequentiam, quia per illam orationem simul cum aliis operibus, et passionem suam, acquisivit jus justitiæ, quod est proprie mereri; quo modo non debebatur illi claritas, seu gloria ratione unionis, sed solum jure quodam filiationis, seu proportionis cujusdam; at vero per orationem quam habet in celo, nullum novum jus acquirit, ut dictum est.

10. *Objectio secunda: an per vulnus lanceæ Christus meruerit. — Responsio. —* Contra secundo, quia vulnus lanceæ inflicium est Christi corpori post mortem ejus, et tamen per illud maxime promeruit; sacramenta enim in Christi meritis fundantur, et tamen virtus eorum fluxisse dicitur a latere Christi pendente in cruce, ut loquitur Leo Papa, ep. 4, c. 6, dicens: *Tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ejus profluxerunt sanguis redemptionis, et aqua baptismatis.* Et August., tract. 15, et 120 in Joan., inquit: *O mors, unde mortui reviviscunt; quid sanguine isto mundus, quid vulnere isto salubrius?* Similia habet lib. 2 de Symbolo ad catechum., cap. 6, lib. 15 de Civit., c. 26, lib. 12 contra Faust., c. 20; Chrysost., hom. 84 in Joan.; Cyril., lib. 12, c. 39, ac denique lib. 10 in

Luc., c. de Commendatione Maria: *Ex illo, inquit, incorrupto corpore, sed defuncto, omnium vita manabat; aqua enim et sanguis exivit; illa, quæ diluat, iste, qui redimat.* Quidam hæretici dixerunt vulnus illud inflicium esse Christo adhuc viventi. Sed est hæresis contra expressum testimonium Joan., c. 19, damnata in Concil. Viennensi, Clementina unica de Summa Trin. Respondetur ergo, in illius vulneris susceptione, cum ipsum factum est, nullum fuisse novum meritum, quia neque ipsum corpus examine jam erat capax meriti, neque anima separata, quamvis intelligatur voluntarie acceptasse injuriam illam sibi factam in suo corpore, erat jam in statu merendi; intelligi tamen potest Christum ipsum dum viveret prævidisse, et libere acceptasse, et obtulisse pro nobis vulnus illud, et dedisse etiam in pretium redemptionis nostræ sanguinem qui de illo exivit. Et hæc ratione posset virtus sacramentorum in hoc merito fundari, quanquam citati Patres non tam de merito quam de significatione loquantur, dicentes, aquam et sanguinem significasse sacramenta Ecclesiæ quibus justificamur, præsertim baptismum et Eucharistiam, ad quæ tanquam ad januam et consummationem omnium sacramentorum cætera revocantur; dicunt etiam significatum esse, virtutem sacramentorum a Christi morte manasse, ipsumque Christum fuisse veluti fontem ex quo sacramenta profluxerunt.

11. *Objectio. — Responsio. — Instans mortis, sicut vitæ, et viæ, ita et merito extrinsecum est. —* Tertio objicitur, nam Christus Dominus per mortem suam nos redemit; ergo meruit in eo instanti in quo consummata est mors; sed in illo jam anima non erat in corpore, quia homo moritur per primum sui non esse; ergo. Qui dicunt hominem mori per ultimum sui esse, facile se expediunt ab hæc difficultate, et ab aliis similibus, quæ de martyribus tractari solent. Supponendo tamen communio-riorem philosophorum sententiam, Cajet., 1 p., q. 63, a. 6, dicit in instanti mortis hominis esse meritum, non tanquam in pura via, sed tanquam in termino viæ; unde pro illo termino concedit meritum in anima separata; et in speciali loquens de Christi anima, infra, q. 50, a. 6, similiter sentire videtur, quamvis obscurissime loquatur. Sed hæc sententia mihi semper displicuit, quia illud instans mortis est terminus extrinsecus viæ; unde sicut in illo jam non est via, ita nec meritum. Eodem ergo modo dicendum est de

Christi Domini morte et merito; et hoc sensit D. Thomas in illa q. 50, art. 6, ad 1, cum dicit redemisse nos Christum per mortem, ut est in fieri, non ut est in facto esse; hoc enim est dicere Christum meruisse toto tempore quo passus est pro nostra redemptione; in instanti autem mortis, cum vita terminatum esse meritum eodem modo quo ipsam vitam.

## DISPUTATIO XL.

In tres sectiones distributa.

## DE HIS QUÆ SIBI CHRISTUS DOMINUS MERUIT.

Explicato merito Christi Domini secundum se, sequitur explicemus quid et quibus meruerit; et ratio doctrinæ postulat ut prius de ipso dicamus, deinde de aliis. Supponimus autem Christum sibi aliquid meruisse, quanquam Calvinus hæreticus id negare ausus est; quem confutabimus commodius sect. 2, ne eadem sacræ Scripturæ testimonia repetere necessarium sit. Videamus ergo quid sibi meruerit; ubi statim occurrebat quæstio, an incarnationem suam sibi Christus meruerit. Sed quoniam ordo ac methodus D. Thomæ id postulavit, eam disputatam reliquimus q. 2, art. 11. Superest ergo ut de aliis donis, quæ præter incarnationem Christo collata sunt, breviter disseramus.

## SECTIO I.

*Utrum Christus mereri potuerit gloriam animæ suæ, et alia dona gratiæ et scientiæ.*

1. *Scotus. — Gabriel. —* Quæstionem hanc intelligo de potentia absoluta, nam de potentia ordinaria dicemus sectione sequenti, explicando an de facto habuerit tale meritum. Proccedit autem quæstio, supponendo Christum habuisse gratiam, gloriam, et alia similia dona a primo instanti creationis animæ suæ; non enim existimo posse in dubium verti, quin de potentia absoluta potuerit illa anima, etiam unita Verbo, carere gloria animæ aliquo tempore, et ita illam de condigno mereri; illud enim prius ostensum est supra, q. 7 et 9, et ex illo evidenter aliud sequitur, ut per se notum est, et ex dicendis constabit, quanquam contrarium videatur posse colligi ex Scoto, dist. 18, q. unica, § Hoc viso ad primum; ubi dicit, tantam fuisse gloriam animæ Christi, ut propter excellentiam suam non potuerit cadere sub meritum, etiam

ipsius Christi, quem sequitur Gab. ibi, art. 3 dub. 2. Ratio enim illa, si vera est, procedit, etiam si supponatur Christum aliquando caruisse illa gloria. Sed si intelligant hi auctores illam gloriam non potuisse cadere sub meritum Christi ratione suæ excellentiæ et perfectionis intensivæ, est ratio omnino falsa et indigna, quia Christi meritum de se non solum ad illam gloriam promerendam, sed etiam ad quamcunque aliam perfectiorem, etiam si in infinitum procedatur, sufficiens fuit, cum fuerit infinitum. Si autem sub illa perfectione gloriæ comprehendant modum habendi illam ab initio, sic non contradicunt nobis, sed pertinet eorum opinio ad quæstionem quam disputandam aggredimur; et ita videntur illi auctores intelligendi, qui etiam non loquuntur aperte de potentia absoluta, quamvis hoc magis indicent. Et ad eundem modum dicendum est de gratia habituali, et aliis donis, potuisse, scilicet, Christum illa mereri, si eis aliquando caruisset, propter eandem causam et rationem; quanquam de habituali gratia nonnulli dubitare videantur, ut Medina, q. 7, art. 13, dub. penult.: *Quia principium, inquit, meriti non potest cadere sub meritum, gratia autem habitualis est principium meriti.* Quæ ratio, si quid probaret, simpliciter et sine ulla suppositione probaret de gratia habituali; re tamen vera nihil probat, quia, ut supra ostendi, gratia unionis est sufficiens principium meriti, et ideo per illam potuisset Christus mereri habitualement gratiam, si illa caruisset. Quæstio ergo hæc solum procedit ex dicta suppositione, an, scilicet, hæc duo simul stare potuerint de potentia absoluta, ut, scilicet, Christus nunquam careret gratia et gloria, et nihilominus per propria merita ea fuerit consecutus.

2. Prima sententia negat hoc esse possibile, sed implicare contradictionem. Hæc existimatur sententia D. Thomæ in hoc articulo, et ita videntur interpretari Cajet. et alii Thomistæ; indicant etiam Scot. et Gab., paulo ante citati; tenet etiam Henri., Quodlib. 6, q. 6, qui, sicut absolute opinatur non potuisse etiam de potentia absoluta animam unitam Verbo carere visione beata, ita simpliciter existimat impossibile mereri illam. Fundamentum hujus sententiæ ita explicari potest, quia implicat contradictionem, eandem gratiam simul esse perfectam et imperfectam, consummatam et non consummatam; sed gratia, quæ est principium merendi gloriam, est gratia imperfecta, et non consummata;

gratia vero, quæ semper est conjuncta gloriæ, semper est perfecta et consummata; ergo impossibile est hæc duo simul conjungi. Secundo, impossibile est moveri ad terminum, et esse in termino; sed mereri gloriam est moveri ad gloriam; ergo impossibile est esse in termino gloriæ, et moveri ad illum. Tertio, quia vel posset esse tale meritum per opera, quæ antecederent ipsam visionem beatam, et hoc non, quia supponimus animam nunquam caruisse illa visione; vel per opera subsequenter, et hoc est contra rationem ipsius meriti, debet enim antecedere præmium, cum sit illius causa, et aliquo modo efficiens.

3. Secunda sententia est non implicare contradictionem ut Christus beatus existens a primo instanti incarnationis suæ, beatitudinem animæ, et cætera dona gratiæ et scientiæ sibi meruerit. Hæc est communis Theologorum, in 3, d. 18; expresse Albert. Magn., art. 4 et 7; Mai., q. 2; Guliel. de Rubio., q. 1, art. 2; Basol., art. 3; Francisc. de Maire, q. 1. Alii vero tantum indicant, quos sectione sequenti referam. Indicat etiam Alens., 3 p., q. 16, memb. 1; tenet aperte Altisiod., 3 Summæ, tract. 1, c. 7. Et mihi videtur vera sententia, quæ duobus modis tractari et probari potest.

4. *Christus potuit mereri gloriam animæ suæ, etiam per actum natura priorem.*—Primo ergo possibile fuit Christum mereri hæc bona per aliquod opus, quod prius natura antecederet illa, quamvis simul in eodem instanti darentur propter tale meritum. Quod etiam hoc nullam involvat contradictionem, ita declaratur: quia in genere loquendo non est necesse ut meritum tempore antecedit præmium, sed solum natura, ut de facto etiam videre licet in merito justorum, et aliquo præmio illius; meretur enim justus perfecte et de jure augmentum gratiæ; habet ergo illud augmentum veram rationem præmii, meritum enim et præmium correlativa sunt; et tamen in eodem instanti in quo illud meretur, recipit illud, ut est indubitatum apud omnes Theologos. Ratio vero est clara, nam meritum vel comparatur ad præmium, vel ad Deum, qui daturus est præmium; si ad Deum, nulla est repugnantia, quia in eodem instanti in quo meritum fit, Deus acceptat illud; et cum sit omnipotens, statim potest reddere præmium, si aliunde non repugnet; si autem comparetur ad præmium ipsum, intelligi facile potest, illam rem, quæ est præmium, es-

se talem ut non repugnet simul esse cum illo actu in quo fundatur meritum, ut aperte constat in exemplo posito de actu charitatis, et de ejusdem charitatis augmento; ergo ex parte ipsarum rerum, in quibus consistunt meritum et præmium, non semper est repugnantia. Nec denique esse potest ex ordine meriti et præmii, quia vel ille intelligitur esse per modum habitudinis causæ ad effectum; et ex hac parte non est repugnantia, quia utrumque potest fieri in instanti, et in his quæ hoc modo producuntur, si causa est perfecta, simul tempore est cum suo effectum; et eadem ratio est, si habitudo illa intelligatur esse per modum viæ ad terminum, quia, quando via est momentanea, simul etiam est cum suo termino, ut philosophis notum est; et apud Theologos constat, ultimam dispositionem ad gratiam esse aliquo modo causam et viam ad illam, et nihilominus simul tempore infunditur. Ex quo obiter solum relinquitur secundum argumentum primæ sententiæ.

5. Constat ergo ex generali ratione meriti et præmii non repugnasse Christi animam per aliquem actum prius natura elicitum meruisse gratiam et gloriam sibi, in eodem instanti infundendam; superest ut probemus non repugnasse ex speciali ratione talis præmii, quod colligi potest ex D. Thoma, Quodlib. 9, a. 8, et in 2, d. 5, q. 2, a. 2; et potest ostendi, quia si in hoc est specialis repugnantia, necesse est ut oriatur ex ipsis rebus vel actibus in quibus tale meritum et præmium consistit; nam, cum in cæteris omnibus eadem sit ratio de hoc præmio, et aliis, fingi non potest alia radix ex qua oriatur. Sed hinc etiam nulla repugnantia necessario nascitur; ergo; probatur minor, quia in merito Christi duo considerari possunt: aliud est cognitio intellectus, quæ fundat meritum, et hæc in illo non fuit fides, sed scientia infusa; aliud est actus voluntatis, in quo est formale meritum, qui sit, verbi gratia, actus liber amoris Dei; sed utrumque horum, etiam si prius natura habeatur, potest esse simul cum visione beata, et cum quibuscumque aliis donis gratiæ posterius natura infusis; de facto enim hæc omnia habuit Christus simul in eodem instanti; ergo ex parte ipsarum rerum, quæ sunt tale meritum et tale præmium, nulla est specialis repugnantia.

6. *Obiectio.*—*Responsio.*—Dicitur fortasse, simpliciter non repugnare hæc omnia simul fieri et haberi in eodem instanti, repugnare tamen simul fieri cum illo ordine natu-

ræ, ut actus inferioris scientiæ natura antecedit actum visionis, et actus amoris liberi gratiam ipsam consummatam, quia scientia infusa sequitur ex ipsa visione beata, et actus amoris ex ipsa gratia, quæ proxime nascitur ex unione. Sed gratis et sine fundamento dicitur hoc esse impossibile, cum nulla vel probabilis contradictio ostendi possit; quia nec necesse est scientiam infusam sequi ex beata, cum possit Deus sua sola virtute proxime et immediate illam donare; neque necesse etiam est, primum actum procedere ab habitu gratiæ, sed potest fieri a sola potentia cum auxilio. Unde facile explicari potest modus quo tale meritum in Christo esse potuit; potuit enim Deus in instanti creationis animæ Christi, primum omnium elevare intellectum ejus ad cognitionem aliquam Dei abstractivam, et per scientiam infusam; et similiter præbere auxilium voluntati, ut per liberum actum se disposeret ad susceptionem gratiæ et aliorum donorum, ad eum modum quo nunc elevat voluntatem hominis in instanti justificationis, ut se disponat ad gratiam; unde, sicut, in justificatione nostra, dispositio natura antecedit infusionem gratiæ, ita fieri potuit in prima sanctificatione animæ Christi per gratiam accidentalem. Est tamen differentia, quia nos per dispositionem non meremur de condigno infusionem gratiæ, quia non supponimur grati; Christus autem, quia per ipsam unionem est gratissimus, et perfectissimum principium meriti, ideo per talem dispositionem de condigno ex perfecta justitia mereretur ipsam infusionem gratiæ; nam respectu Christi, hæc non est prima gratia, sed secunda, quæ aliam perfectiorem supponit; nihil autem repugnat, per primam gratiam, mereri secundam. Unde etiam fit, ut per eandem dispositionem potuerit mereri eandem gratiam consummatam et perfectam, atque adeo gloriam et cætera dona; quia valor et meritum illius dispositionis majus est quam hæc omnia, et aliunde nulla est repugnantia, ut declaratum est. Ex quo discursu intelligitur, solum illum primum actum scientiæ, et primum auxilium datum voluntati Christi ad prædictum actum, non potuisse hoc modo cadere sub meritum ejusdem Christi, quia ante primam cognitionem et primum actum liberum impossibile est intelligere ut in eodem homine antecedit meritum, etiam ordine naturæ, cum meritum necessario supponat cognitionem, et in actu libero fundetur.

7. *Etiam per subsequenter opera a Deo prævisa, mereri potuit Christus dicta dona.*—Secundo modo intelligi potest fuisse possibile hoc meritum per subsequenter opera, ita ut propter illa prævisa data fuerit prima gratia et beatitudo; et extendi hoc potest ad primum auxilium, et primum actum cujuscunque scientiæ. De hoc tamen modo, quia nunc necessarius non est, plura non dicam, sed judicandum de illo est juxta ea quæ de possibili merito incarnationis diximus supra, q. 2, art. 11, et in sequentibus occurret occasio addendi nonnulla.

8. *Gratia, ut sit principium meriti, non opus est ut sit aliquo modo imperfecta.*—Ad argumenta, primo non existimo sensum D. Thomæ esse quem explicat illa sententia, sed posse optime de potentia ordinaria explicari, ut sectione sequenti dicam. Ad primam vero rationem respondetur, gratiam, quæ esset in Christo principium meriti in dicto casu, non esse gratiam imperfectam, sed ipsam gratiam unionis. Deinde etiam si demus (ut revera fieri posset) habitum gratiæ infundi animæ Christi sine merito, ut per aliquem actum ab illo elicitum mereretur visionem beatam in eodem instanti dandam, adhuc argumentum illud non procederet; nam interrogo quid intelligatur nomine gratiæ imperfectæ; nam si intelligitur gratia quæ aliquo tempore non habet conjunctam visionem, sic petitur principium; nego enim esse de ratione gratiæ, quæ est principium meriti, ut sit hoc modo imperfecta; nulla enim ratione hoc probatur, et contrarium satis a me probatum est. Aut per gratiam imperfectam intelligitur gratia, quæ per fidem operatur, et hoc sensu in aliis præter Christum speciali modo repugnat, meritum visionis beatæ simul esse cum ipsa visione beata, eo modo quo repugnat fidem et visionem esse simul, sive illa repugnantia sit in ordine ad absolutam Dei potentiam, sive solum ex natura rei, aut secundum legem ordinariam, quod fortasse probabilius est; at vero in Christo Domino neque hic modus repugnantæ reperitur, quia meritum ejus non fundatur in fide, unde neque gratia, quæ fuit principium ejus, fuit in illo sensu imperfecta. Aut per gratiam imperfectam intelligitur gratia, quæ non habet totum augmentum seu intensionem quam habitura est, et hoc sensu etiam facile negari potest hanc imperfectiorem esse de ratione illius gratiæ, quæ est principium meriti; nihil enim illa ad meritum confert; neque ulla ratio assignari potest pro-

pler quam requiratur, præsertim cum possit habitus gratiæ esse tam intensus in viatore, quam in comprehensore. Aut denique per gratiam imperfectam intelligitur gratia, quæ est veluti in fieri et in via; et hic sensus vix potest distingui a præcedenti; unde neque hæc imperfectio ad meritum est necessaria; posset enim gratia consummata et perfecta in intensione gratis alicui donari prius natura vel tempore, hac lege et conditione, ut quamprimum ab illa proflueret operatio libera et meritoria, statim in eodem instanti redderetur illi præmium visionis beatæ. Secundum et tertium argumentum ex superioribus soluta sunt.

## SECTIO II.

*Utrum Christus meruerit gloriam animæ suæ, et alia dona gratiæ et scientiæ.*

1. Prima sententia affirmat, quam tenent Altisiodoren., Albert. Magn., Guiliel. de Rubion, Bassolis et Mairo, præcedenti sectione citati. Et suaderi potest nonnullis sacræ Scripturæ testimoniis, Psal. 44: *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ.* Quamquam enim interdum exponatur hic locus de gratia unionis, multi tamen Sancti illum intelligunt de gratia habituali, ut supra vidimus; et licet illud, *propterea*, possit denotare causam finalem, satis tamen commode videtur intelligi de causa meritoria. Præsertim tamen videtur urgere illud Isai. 53: *Pro eo quod laboravit, videbit, et saturabitur.* Visio enim, quæ satiat, non est nisi visio beata, juxta illud Psal. 26: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Unde sanctus Vigilus, lib. 5 contra Eutychem, hoc testimonio probat Christi animam vidisse lucem et fuisse saturatam scientia propter suum meritum; et ibidem de merito Christi exponit illa verba Joan. 10: *Propterea me diligit Pater, quia animam meam pono.* Meruit ergo Christus dilectionem Patris, atque adeo gratiam. Denique Isai. 72 dicitur: *Ecce Salvator tuus venit, et merces ejus cum illo.*

2. Rationibus videtur urgentius confirmari hæc opinio. Prima colligitur ex dictis in sect. præced., juncto principio quo D. Thomas in hoc articulo utitur; quia si meritum non requirit carentiam præmii, melius est habere illud ex merito quam sine merito; sed ostensum est hoc meritum gloriæ in Christo non requirere carentiam ipsius gloriæ; ergo perfectius fuit habere illam ex merito, quam sine

illo; Christo autem tribuendum est quod perfectius est. Major probatur, quia habere aliquid ex merito, perfectio est; unde, si non excludat majorem vel æqualem perfectionem, melius erit habere aliquid ex merito quam sine merito; sed nullam majorem perfectionem excludit, quia non excludit hanc, scilicet, semper esse beatum; et nulla alia excogitari potest, quam excludat, nec D. Thomas alterius meminit. Dices excludere aliam, scilicet, quod ipsa gloria sit per se debita, ut proprietas connaturalis. Sed hoc falsum est, potest enim eadem gloria deberi, ut proprietas connaturalis ipsi unioni, et fieri debita ex justitia per meritum, si aliunde non sit repugnantia; nam illi duo tituli optime inter se conjunguntur, et perfectius est habere aliquid ex utroque titulo, quam ex altero tantum. Ut si regis filius regnum sibi jure hæreditario debitum, suis etiam victoriis et facinoribus mereatur, major illi erit gloria et perfectio; ita enim sectione sequenti nobis philosophandum est in merito gloriæ corporis Christi Domini. Unde, quod contra hanc sententiam objici solet, quia Christo gratia et gloria est connaturalis, tanquam naturali Filio Dei, juxta illud Joan. 1: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*, et ad Roman. 8: *Si filii, et hæredes*; quod autem connaturale est, non cadit sub meritum. Hæc (inquam) ratio parum urgere videtur contra hanc sententiam, quia illi duo tituli (ut diximus) non repugnant; præsertim quia gloria et gratia non est connaturalis humanitati Christi secundum se; humanitati autem ut unitæ dicitur connaturalis, non quia sit proprietas physice manans ab ipsa unione, sed quia debetur secundum quamdam veluti connaturalem proportionem et congruentiam; hujusmodi autem proprietati multo minus repugnat ut possit simul per meritum obtineri; sicut nullus negat quin Christus Dominus potuerit obtinere gratiam habitualement per propriam dispositionem liberam, quod esset alienum a proprietate connaturali physice manante a suo principio, non vero a proprietate connaturali modo explicato.

3. Ex quo potest secunda ratio fieri pro hac sententia, nam Christus suscepit gratiam habitualement per propriam dispositionem; ergo per illam meruit gratiam ipsam. Antecedens videtur esse communiter receptum, præsertim in schola D. Thomæ, quia ipse docet infra, q. 30, art. 5, Christum sanctificatum esse per proprium motum liberi arbitrii, quia hic

modus sanctificationis perfectior est; consequentia vero probatur, quia necesse est ut illa dispositio fuerit actus supernaturalis ordine naturæ antecedens gratiæ infusionem, quia hoc est de ratione dispositionis, cum esse dispositionem sit esse causam, id quod docuit etiam D. Thomas, 1 p., q. 62, a. 2, ad 3, et 1. 2, q. 109, art. 6, ad 3; sed dispositio ad gratiam est meritoria gratiæ de condigno, si supponat personam gratam, ut in Christo supponebat; ergo in Christo illa dispositio, ut prior natura gratia, fuit meritoria gratiæ, et consequenter etiam gloriæ, quia nullus mereatur gratiam, quin mereatur etiam gloriam, quia gratia est prior gloria. Et confirmatur, nam ideo dicitur Christus sanctificatus per propriam dispositionem, quia hic modus sanctificationis est perfectior; sed etiam pertinet ad majorem perfectionem, ut illa dispositio simul sit dispositio et meritum; ergo. Tandem, posito hoc ordine naturæ, quem requirit dispositio, ponuntur omnia quæ necessaria sunt ad hoc meritum, ut evidenter patet ex dictis in sectione præcedenti; nam illa dispositio necessario includit cum actu voluntatis actum intellectus distinctum a visione beata, quia visio beata non est dispositio ad gratiam, sed consummatio ejus; habuit ergo Christus de facto totum id, quod de possibili requirebamus ad meritum; ergo meruit.

4. Hæc sententia est sine dubio probabilis, cum habeat graves auctores, et valde probabiles rationes, et speciem quamdam pietatis; unde, qui illi temeritatis notam inurunt, temere sine dubio loquuntur, præsertim cum nullum solidum fundamentum afferant, ut videbimus.

5. Nihilominus contraria sententia, quæ negat, Christum hæc dona animæ suæ meruisse, sicut communior Theologorum est, ita simpliciter videtur mihi probabilior. Tenet illam D. Thomas hic; Magister, et alii Theologi, in 3, d. 18; Bonav., art. 2, q. 1; Richard., art. 2, q. 1; Palud., q. 2; Durand., q. 3, n. 6; Scot. et Gab., quæst. unica; Marsil., quæst. 12, art. 1, concl. 3, qui pro hac sententia refert Augustinum, sed falso, quia Augustinus non loquitur de merito gratiæ aut gloriæ, sed de merito incarnationis; refert item contra hanc sententiam Alexandrum Alensem, sed male, aperte enim tenet eandem, 3 p., q. 46, memb. 3, a. 1; et Dried., de Captiv. et redemp. gen. hum., tract. 2, c. 2, p. 3, a. 3; Soto, in 4, d. 21, q. 1, art. 2; Cano, lib.

12 de Locis, c. 14, ad 6. Solet hæc sententia fundari quibusdam rationibus invalidis, quas breviter attingere oportet. Prima est illa de proprietate connaturali, quæ jam rejecta est. Secunda, quia si Christus meruisset gloriam suam, obtinuisset gloriam infinitam, sicut meritum est infinitum. Sed hæc minoris momenti est; idem enim argumentum fieri posset, ut non meruerit nobis gloriam, quia obtinuisset nobis gloriam infinitam, sicut meritum est infinitum. Simili etiam argumento probaretur non habuisse gloriam, ut proprietatem unioni debitam, quia unio est infinita, et consequenter illi danda esset gloria infinita; et sine dubio, si sola dignitas ejus pensetur, gloria perfectior, etiam si in infinitum augetur, esset illi proportionata. Sicut ergo in hujusmodi exemplis dicimus infinitam gloriam non esse possibilem, et ideo datam esse Christo ratione unionis in certo termino, juxta dispositionem divinæ sapientiæ, ita dari potuisset ratione meriti; nam, licet meritum in se sit infinitum, tamen ab ipso Christo referri posset ad præmium finitum a Deo præscriptum, sicut de facto retulit sua merita, ut in nobis haberent effectum finitum. Tertia ratio est, quia alias Christus non obtinuisset gloriam usque ad finem vitæ suæ, quia non consummavit meritum suum, neque oblinuit perfectum jus ad præmium usque ad finem vitæ. Sed parum etiam hoc urget, quia non oportuit omne præmium meritorum Christi ita differri; multa enim petiit et meruit, ut statim fierent. Illa ergo dilatio et complementum meriti potissimum locum habuit in ordine ad nostram redemptionem et completam satisfactionem pro reatu totius humanæ naturæ; unde consequenter factum est, ut eo etiam tempore Christus caruerit aliquibus bonis, seu perfectionibus corporis, quarum carentia necessaria erat ad perficiendam nostram redemptionem, et ideo non ordinavit sua merita ad obtinenda ea bona ante mortem; de bonis autem animæ non est eadem ratio, et ideo poterat facile ordinare suum meritum ad illa obtinenda statim, et sine dilatione ulla. Ex quo ruit quarta ratio, qua alii utuntur, scilicet, quia alias habuisset Christus spem beatitudinis animæ suæ; hoc enim non sequitur, quia spes requirit carentiam et dilationem præmii; Christus autem, si gloriam animæ meruit, in primo instanti incarnationis illam meruit, et statim, ac sine dilatione ulla, illud præmium obtinuit.

6. Quintam rationem addit Scotus, quam